



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Hieronymi Dandini Cæsenatis E Societate Iesv De Corpore
Animato Lib. VII.**

Dandini, Girolamo

Parisiis, 1611

De gustatu, cap. 10.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95641)

*Q*uod si potestate sit tale, qualis actu est odor. **A** simul corpore semper reperiantur; & uterque la-
 Quod si potestate sit tale, actu erit contrarium: uabilis sit, odor in aere & aqua, sapor in aqua.
 hoc est actu humidum, potestate siccum. Adde Ac demum uterque est qualitas alimenti, & ex
 etiam actu frigidum, potestate calidum: siquidem vtroque alimenta dignoscuntur. Quamquam ea
 odor calidus quoque est. Hoc autem organum est ex parte plurimum differant, quod & diuersorum
 cerebrum, quod in memorato libello frigidissi- sensuum obiecta sint, & sapor magis humidi, odor
 mum & humidissimum esse dicebat, odorumque magis siccis. Quare & odor quispiam existit,
 calore & siccitate temperari. qui non alimenti est, sed delectationis, atque ad
 cerebrum temperandum totus refertur; odor in-
 quam florum.

Quæ duo loca si coniunxisset Galenus, multo minus criminatus fuisset, Aristotelem non indicasse in quam parte sit odorandi organum. Apertis enim verbis explicauit esse in cerebro. Quibus si adiungantur paulo superiora, quibus odorandi sensorium in quibusdam animalibus dicebat esse obductum operculo, in aliis non item; apertoque operculo fieri odoratum; manifestum fuerit, eum in anteriori cerebri parte, hoc est in mammillari- bus processibus, vim odorandi posuisse.

DE GUSTATV.

C A P. X.

T E X T V S.

Tὸ δὲ γευστὸν ἔστιν ἀσπὴν τῆς ψυχῆς αἰσθῆσις καὶ οὐκ εἶναι αἰσθῆσιν διὰ τὸ μεταξὺ ἀλλοτρίων ὄσμων σωματικῶν. ἔδεται γὰρ ἡ ἀσπὴ.

*T*extus. Gustabile autem est quoddam tactile. Et hæc causa, ne sit sensibile per medium alienum corpus existens. Neque enim tactus.

COMMENTARIVS CXLI.

De gustatu nunc quarto loco sermonem esse, manifestum est. Nam cum superius dixisset in tex. 75. omne quidem obiectum sensibile sentiri per medium, hocque in aspectu, auditu & odoratu, percipiendum satis esse; in gustatu autem & tactu, etsi res paulo obscurior sit, posterius tamen docendum esse, quemadmodum in illis quoque se habeat: nunc etiam priorum sensuum, tanquam nobiliorum & notiorum, explicatione perfecta, reliquos duos aggreditur. & priore loco gustatum: eadem scilicet methodo, qua de prioribus disseruit; siquidem gustatus & manifestior est, & verò etiam nobilior & melior tactu.

Quod tum ex eo cognoscitur, quod natura, quæ ab imperfectis principium facit ad perfectiora progrediens, à tactu ad gustatum ascendit. Et ille quidem est primus omnium sensuum, hic autem secundum habet gradum. Tum ex eorum organis & obiectis. Nam gustatus determinatum habet in vna aliqua corporis parte organum, tactus sparsum & quasi incertum. Gustandi; obiectum sunt sapes, qualitates secundæ ex primis genitæ; & multo illis meliores, quæ ad tactum pertinent. Denique post odoratum propter obiectorum coniunctionem agere de gustatu oportuit. Namque & ex iisdem principis oriuntur odor & sapor, omneque odoriferum corpus est sapidum, & omne sapidum odoriferum. Immo in lib. de sensu & sensibili cap. 4. odor & sapor dicuntur esse eadem ferè passio; quod ex eadem permissione oriuntur, & in eodem

B simul corpore semper reperiantur; & uterque la- uabilis sit, odor in aere & aqua, sapor in aqua. Ac demum uterque est qualitas alimenti, & ex vtroque alimenta dignoscuntur. Quamquam ea ex parte plurimum differant, quod & diuersorum sensuum obiecta sint, & sapor magis humidi, odor magis siccis. Quare & odor quispiam existit, qui non alimenti est, sed delectationis, atque ad cerebrum temperandum totus refertur; odor in- quam florum.

Ergo ut cæteris sensibus fecit, sic in hoc principium faciens ab obiecto, & in facultatis cognitionem deducens; gustabile accipit esse quoddam tactile, & idem sine externo medio gustari. Quoniam eiusmodi sensus est tactus, ut obiectum suum absque alieno medio percipiat. Quæ verba eò spectant, ut hic sensus à cæteris omnibus distinguatur: siquidem antea dictum fuerat diuersam illius esse à prioribus tribus naturam. Nam etsi hoc habeat cum illis commune, ut per medium aliquid operetur, quoniam hoc omnis sensus postulat: ea tamen ex parte magnopere differt, quod externo illi corpore interiecto indigent, aere aut aqua; hic internum duntaxat medium habet, obiectumque oportet omni externo corpore remoto sentiendi organum tangere. Quare in re conuenit quidem gustatus cum tactu, sed ab eo distinguitur obiecto; quoniam gustatus obiectum est gustabile, tactus autem tactile. Et quamuis gustabile sit etiam tactile, non est tamen quoduis tactile, sed determinatum quoddam. Neque retrò commeare licet, omne tactile esse gustabile, sicut omne gustabile est tactile.

Itaque quod in tex. 94. gustatum dixit esse quemdam tactum, & nunc gustabile esse quoddam tactile; perperam illi acceperunt, qui formaliter interpretati sunt, quod eandem linguam & gustare viderent & tangere. Quasi verò hoc argumento non probaretur, nullum esse sensum præter tactum; cum in omnium organis vis tangendi vigeat. Et non dixerit idem Philosophus in tex. 88. compendio naturam delectari, vnoque ad plura opera uti; tum aere ad cordis refrigerationem & vocem; tum lingua ad gustandum & loquendum, adde & ad tangendum. Et rursum in tex. 112. argumentum illud non responderit aliquam fortasse vim habiturum fuisse, si non linguam modò, sed reliqua item corporis caro ut tactilia sentit, sic gustabilia quoque gustaret. At dum non ita est; & omne quidem, quod gustat, tangit, omneque gustabile est tactile; sed non gustat omne, quod tangit, neque omne tactile est item gustabile: manifesta cognoscitur obiectorum horum & sensuum distinctio. Quam ob causam non dixit, gustatum esse tactum, aut gustabile esse tactile: sed illum esse quemdam tactum, hocque quoddam tactile.

Nemo tamen hinc deducat gustabile esse speciem tactilis, gustatamque speciem tactus velut generis: & ideo commemorandum non esse tantum sensum ab eo distinctum; quoniam in nulla diuisione species commemoratur ut membrum à suo genere diuersum. Etenim dubitationem hanc totam veteres interpretes iam pridem explicarunt: nec solum responderunt Alexander, Philoponus, & post eos S. Thomas, gustatum esse quidem tactum quemdam quoad sentiendi modum; quia non liter, quam tangendo, suum obiectum percipit, sicut & tactus: re ipsa tamen diuersam sentiendi

Gustabile autem est quoddam tactile. Et hæc causa, ne sit sensibile per medium alienum corpus existens. Neque enim tactus.

vsu gustabile quoddam tactile, gustatus quidam tactus.

facultatem, cum obiectum habeat distinctum; saporem, qualitatem à tactilibus diuersam: & diuersam item actionem, distinctumque organum. Quippe vt ex textu 112. dictum est, gustat sola lingua, tangit non hæc sola, sed vniuersa corporis caro. Verùm etiam Themistius, Simplicius, & Albertus, gustabile interpretati sunt esse quoddam tactile, non per se & essentiali attributione, sed subiecto duntaxat & ex accidenti: quatenus sapor gustabilis & qualitas tactilis in eodem subiecto sunt. Nam cum proximis verbis dixisset Philosophus, saporem esse humidatque in humore potissimum consistere: neque is gustetur nisi humectetur lingua: humorque tactilis qualitas sit: propterea statim subiunxit, gustabile, quod in humore tanquam materia & subiecto sustentatur & gustatur, tactile quoddam esse. Sanè gustabilem qualitatem in aliquo subiecto esse oportet: hoc humidum corpus est. Atque ex omnium quidem principum qualitatum permissione sit sapor, siccitatis præsertim & humoris, maximeque humoris, vt antea dictum est. Sed hic aut considerari potest quatenus humor est, aut quatenus sapidus est. Priori enim modo tactilis est, posteriori gustabilis. Hinc fit, vt gustabile non gustetur nisi tangendo: quoniam in tactili qualitate versatur. Sicut enim obiectum gustabile in tactili obiecto sustentatur, sic gustatus sensum in tactu sensu sustentari & cum eo coniunctum esse necesse est. Propterea maior multò est gustatus, quam aliorum sensuum, coniunctio cum tactu. Quoniam cæterorum sensuum obiecta ab illis, etsi non tangantur, cognosci possunt. Et aut ex primis qualitibus non gignuntur, vt sonus; aut si gignuntur, non immediatè & proximè gignuntur; vt colores, qui ex luce, opacitate, & perspicuitate immediatè & proximè nascuntur: aut si immediatè ex illis fiant, vt odores, calore tamen resoluuntur: & ab odorifero corpore exhalant; vt illius contactu opus non sit. At saporis & immediatè ex tactilibus qualitibus sunt, & in illis perpetuò conseruantur, nec nisi gustabilis corporis contactu sentiri queunt.

Et quoniam gustabile est quoddam tactile, nec sapor gustari potest nisi tactu sentiat humidum, in quo est sapor: si tactus non interiecto aëre aut aqua, sed omni externo corpore remoto, sentit humorem; gustatus quoque saporem absque externo medio percipiet. Externum autem & alienum corpus cum dixit, atque à gustatu & tactu exclusit; internum & coniunctum medium reliquit, quo hi quoque sensus vtantur.

Est igitur in illis similitudo maxima; tum obiecti, quia omne gustabile est etiam tactile. Tum organi, quia eadem lingua vtroque sensu fungitur. Tum medij; quia vterque interno & coniuncto vtitur medio, non externo & alieno. Tum modi operandi; cum vterque per realem & immediatum contactum agnoscat obiectum suum, dum illud in se ipso suscipit. Denique vterque ad vitam est maximè necessarius atque ad alimentum spectat.

Plurimum tamen, tum formali obiecto distinguuntur & totali organo; tum medio, quod in tactu tactilis, quam in gustatu, pateat: tum verò operandi modo. Et tactus quidem qualitatem tactilem sentit, quamuis corpus, quod illam producit, remotum sit: vt guttemus autem, necesse est sapi-

Gustatus sine externo medio.

Gustatus & tactus similitudo.

Distinctio eorum.

dum corpus imponi linguæ: & sine gustatu operatur tactus, gustatus sine tactu nunquam. Atque ille quidem ad alimentum solum est comparatus, hic verò tum propter gustatum necessarius est, tum vt vitæ noxia & contraria vitemus. Omnino enim est hic sensus animalibus cunctis necessarius: tum quia hæc est prima sentientis animæ operatio, velut cæterarum fundamentum: tum vt à noxiis retrahamur: tum quia vt est in tex. 28. quem admodum calido, frigido, humido, siccoque constamus; sic illis sustentari nos oportet. Gustatus condimentum potius spectat; vt & saporis delectatione ad alimentum sumendum inuitemur, & vile ab inutili ex sapore diiudicemus. Itaque sanè & sicut, quæ alimenti appetitiones sunt; non saporis, sed calidi & sicci, humidi & frigidi, appetitum esse definiuit Philosophus; alioqui non alimenti, sed condimenti, appetitus essent. Et in imperfectissimis quibusdam animalibus affixis; vt in spongiiis & vtriciis, testimonio Philoponi in com. tex. 1. & Themistii cap. 11. & Auerois comment. 31. solus inest sine gustatu tactus. Immobilia enim eodem semper modo alimentum trahunt, neque illius optionem habent: quare saporum sensu non indigent, sed fat est tactuum qualitatum sensus. Quæ, vt tactiles sunt, vniuerso sentiuntur corpore: vt alimenti qualitates existunt, determinata parte, quæ cæterorum linguæ proportionem respondent. Ita alimenti sensus in omnibus animalibus inest.

Plantis ne hic quidè necessarius fuit; quia cū sint infixæ terræ, adeo semper alimentum: & cum crassioris sint temperationis, quilibet succus opportunum illis alimentum præbet. Ad noxiorum verò incursum duræ sunt & dura testæ cortice.

In animalibus perfectioribus inest quoque gustatus, quo præter conuenientiam & contrarietatem alimenti saporis item discernunt. Et vterque sanè sensus est alimenti: sed alter alimenti absolute considerati, alter condimenti potius. Quocirca saporum illud: Quod sapor nutrit; & Aristotelis illud: Alimentum nutrit vt est gustabile; non à priori, sed tanquam signum accipiendum erit: gustatus quippe delectatio opportunum indicat alimentum. Certè Aristoteles, cum in li. de sensu & sensibili alimentum dixisset nutrire vt gustabile; statim adiecit (omnia enim nutriuntur dulci) quasi verbis illis significans, ex hoc dulci & iucundo sapore vtile alimentum cognosci; ex amaro & molesto inutile.

Quod autem ipse affirmavit, & confirmant Theophrastus in 6. lib. de causis plantarum, & Galenus in 4. de Simp. medic. facul. cap. 14. & experientia satis testatur. Nam & dulcia expetuntur à nobis; præsertim pueris, in quibus integra est natura & in sua conditione posita; & natura ex alimento sumpto dulciorem separat partem & amarum relinquit. Quam ob causam sanguis, quo sustentamur, dulcis est, & excrementa omnia salia & amara. Quod si dulcioribus interdum cibus saporem alium admiscemus; aut id propterea facimus, quod dulcia facillè implent, satiant, & in ventre supernatant, cum ferè sint pingua. Aut quod vitæ & minus bene affecta sit nostri corporis temperatio, ventrisque habitus minus syncerus. Nam si abundet choletica, frigidis & acetosis; si pituita, calidis & acerbis delectamur. Aues quoque, apes, & ferè cætera, dulcibus vesci manifestum est. Alii propter corporis temperationem dulcedinem magis temperant

temperatam querant, dulciore tamen cibi parte nutriuntur. Sed cum alimentum & substantiam contineat dulcem, & saporem dulcem: sapor condimentum est, quo oblectatur gustatus; substantia verò dulci natura reficitur.

Aur. Nam etsi hæc verè dicantur, ad hunc tamen locum non pertinet; in quo Aristoteles longè alio intellectu materiam nominavit; vt necessariam gustabilis & tactilis coniunctionem demonstraret.

TEXTVS.

Καὶ τὸ σῶμα ὃ, ἐν ᾧ ὁ γούσας, τὸ γούσῃ ἐν ὑγρῷ ὡς ὕλην. ἢ ὡς δὲ ἀσπίνην.

B Atque ad eò corpus, in quo sapor, gustabile in humido, vt in materia; hoc autem tactile quoddam.

COMMENTARIVS CXLII.

Quòd gustabile dixit esse quoddã tactile, hoc est gustabilem qualitatem sentiri non posse, nisi tactu simul sentiatur qualitas tactilis cum eo cõiuncta: & idèò sine medio externo sentiri posse: hoc argumento nũc probat. Corpusapidũ est gustabile in humido; siquidem sapor est humidi, sicut odor siccitatis: at humor est qualitas tactilis, & humidum est tactile; igitur gustabile est quoddam tactile.

Sed verba illa (vt in materia) non ita Græcè legimus sed (ὡς ὕλην) in recto, non (ὡς ἕλην) in dandi casu. Non inquam vt in materia, sed vt materia: atque ita legit Simplicius, corpus iniquens, quod humidã qualitati gustabili subiectum est, esse tantquam materiam illi substratam. Philoponus autem vilus est legere (ὡς ὕλην, vt in materia) vt verborum sententia sit; corpus, in quo vt in materia est gustabilis succus, esse humidum. Quæ interpretatio Themistij fuisse quoque videtur, cum saporem dixit tantquam humori formam euadere. Alexander verò in lib. 1. de anima cap. 16. omnino aliter hunc locum legit: non inquam (ὡς ὕλην, vt in materia, sed ὡς ὕλην, vt in aqua). Idcirco enim probat nihil sine humido esse gustabile, quia materia huiusmodi qualitati, hoc est saporis, est ex aqua, quæ humida est; siquidem humidum aqueum terreæ siccitati permistum facit saporem. Quæ oratione humidum potius saporis materiam, vt Philoponus & Themistius, quàm corpus humoris saporosi, vt Simplicius, subiectum fecit. Atque id sane magis ad rem. Quippe ostendendum erat, gustabile esse tactile: vt illa verba testantur (hoc autem tactile quoddam est) quare ex tactili qualitate ducenda nimirum probatio fuit: scilicet ex humido, cum quo sapor velut cum materia, ex qua gignitur, necessariò coniunctus est. Nam cur quæso lingua prorsus arida sapores non sentit; nisi quia humidum saporis materia est; nec potest nisi in humido gustari sapor? & si corpus quoqueapidum sit prorsus siccum, nisi liquecat & humectetur, non gustatur.

Quare nec illud probo, quod verbum illud (vt materia) interpretatur idem Simplicius additum fuisse ad perspicui differentiam, quod colorem non suscipit, sed actionem solum, qua color mouet aspectum; & idèò coloris materia non est. At corpus humidum suscipit quoque saporem, tantquam formam & accidens, quod in ipso sustente-

TEXTVS.

Δὲ ὃ ἐν τῷ ὑγρῷ ὕδατι, ἡδονικὴ ἀνὰ ἐκλεισθῆναι τῶν γούσων. καὶ ὡς δὲ ἐν ἡδονικῆς ἡμῶν διὰ τὸ μεταξὺν, ἀλλὰ τὸ μὴ ἔσθαι τῶν ὑγρῶν, καὶ ἔσθαι ἐν τῷ ποτῷ. τὸ δὲ ἔσθαι ἔχον ὄψιν ὁρᾶται τῶν μύσων, οὐδὲ τῶν ἀποψιῶν.

B Quare est in aqua essentia, sentiemus vique iniectum dulce. non esset autem nobis sensus per medium, sed eò, quòd esset permistum humido, sicut in potu. Color autem non sic videtur; eò, quòd misceatur, neque effluxibus.

COMMENTARIVS CXLIII.

Gustabile esse tactile, hoc argumento conficitur; quoniam humor, qui tactilis qualitas est, materia saporis existit; neque sine illo gustatur sapor. Nunc videtur quidem ex his deducere, gustari in aqua saporem posse: præsertim cum superiores quoque sensus, aspectum, auditum, & odoratum, in aqua quoque operari dixisset. Aut obiectioni respondere; quoniam gustatum dictum est fieri sine medio, nos autem sapores aquæ iniectos per eam gustamus quasi per medium.

Sed verò hac oratione ostendit, tum humidum esse saporum materiam, tum eos sine externo medio gustari. Etenim si essemus in aqua; sapores in ea existentes planè sentiemus. Siquidem & vrinantes & natantes marinæ aquæ salledinem persentiunt: & si cuius aquæ dulcis aut alius quispiam sapor admisceatur, cum eam bibimus aut ore suscipimus, dulcedinem & saporem illius statim gustamus. Quin etiam salisam pituitam sentimus. Et omnino nisi salina madescat lingua, sapidos siccos cibos non percipimus. At aqua, pituita, & salina, corpora humida sunt; quæ officio mediij nequaquam funguntur, sed materia, in qua suscipiuntur sapores: eæque absque vllò interiecto corpore in sentiendi organo positæ, optimè gustantur. Sapores igitur humido constant vt materia: nec per externum medium sentiuntur, per quod eorum actiones ad organum traducantur, vt in coloribus euenit: sed ipsimet cum humido corpore permisti in organum immediatè agunt.

E Quare etsi aqua pura, & per se considerata planè insipida sit, & vt sapè nominavit Galenus, ἀπίδα; propterea quòd est corpus simplex, primis duntaxat qualitatibus præditum; non secundis, quæ ex permistione gignuntur: vim tamen habet saporis omnis susceptricem. Non itè aër, etsi humidus & ipse sit; nisi, vt inquit Philoponus, valdè vehemens sit & efficax sapor; vt in absynthio recens decerpto interdum accidit, vt vehementi qualitate aut aliqua defluente substantia affecto aère amarus sapor distantis corporis quoquomodo à nobis gustetur. Sed hoc rarissimum est, & vix euenit: quoniam humidum, quod saporum materia est; oportet esse crassum & succosum, quale est humidum aqueum.

Quòd verò adiecit (sicut in potu) aut exemplum est, quemadmodum in aqua sine medio externo

Aqua
Co
bu
midum
saporum
mate
ria.

Aer
sa
pidus

COMMENTARIUS CXLVI.

Cum iam tribus modis inaspectabile dici docuerit; haud satis intelligo, quo consilio dictum fuerit à Philopono, vocis huius omonymiam nunc primùm distingui, eiusque significata diuidi. Porciùs affirmo, quartum significatum addi, quo inaspectabile, quemadmodum & in ceteris inaudibile, inodorabile, & ingustabile, meram negationem significat. Vox .n. inaspectabilis dicitur, quòd nec aspiciatur, nec aspici omnino queat. Eodemque modo color inaudibilis dicitur, & sonus ingustabilis: entiaque spiritalia, & proprium quodlibet vnus sensus obiectum comparatione alterius sensus ita nominare licet. Atq; hoc distinguitur quartum hoc significatum à primo illo, quo priuatio significabatur; hoc est negatio & absentia obiecti in subiecto, in quo adesse poterat; & comparatione sensus, à quo sentiri potuisset: vt tenebræ in aëre comparatione aspectus, & silentium comparatione auditus. Quare priuatio quidem insensibilis dicitur comparatione illius sensus, cuius obiectum est priuationis habitus: habitus autem hic ipse vni sensui sensibilis, si cum aliis sensibus comparetur, insensibilis planè appellatur.

Propterea tenebras antea dicebat inaspectabiles esse: ac negationes hæc non solum inaspectabiles, sed omnino inaspectabiles nunc appellat. Quoniam priuationes potestatem significant & aptitudinem, negationes omnino nullam. Sed quoniam negationi per similes est & cognata priuatio; & priuationi id, quod ægrè & vix actum habet & formam: propterea cum negationem nominasset, hæc quoque paucis repetit, que superiori oratione docuerat. Inaspectabile inquam illud etiam dici, quod cum aptū sit aspici, non aspicitur tam; propterea quòd non habet actum, quem habere possit; aut tenuem valde & exilem habet: vt perspicuum tenebrosū, aut tenuissimo quoptiam lumine præditum.

Verum non temerè dixerò, hæc fuisse hoc loco eam ob causam ab Aristotele repetita, vt quadri-membrem insensibilis partitionem factam ostenderet posse ad bimembrem diuisionem certa ratione & arte constantem reuocari. Nam insensibile quidpiā dicitur, aut quòd sensibili careat forma, aut quòd eam minùs accommodatam habeat. Quorum vtrūque membrum rursū diuiditur. Primū enim aut negationem significat, aut priuationem. Alterum autem, vel excessum formæ, vel defectum. Potest & alio modo diuidere. Insensibile dicitur, aut per excessum, aut per defectum. Illud sensibilem formam habet, sed nimis vehementem. Hoc autem rursū diuidendum est. Aut enim nec sensibilem formam habet, nec habere potest; aut non habet quidem; sed habere possit; aut demum tenuem nimis & exilem habet. Fortasse etiā significare voluit insensibile duobus modis dici: aut sua natura, aut propter defectū & imbecillitatem sentientis facultatis: quod que posteriori hoc modo dicitur, minùs verè & propriè dici: vt si solem inaspectabilem dixerò, propterea quòd fixis oculis lucem eius nequeam sustinere. Et idèd à nimis vehementi sensibili tria hæc membra separauit, quæ propriè & sua natura insensibilia dicuntur, quòd aut penitus aut magna ex parte careant sensibili forma, neque sensum veleant permouere.

Nam etsi hoc loco præuè aspectabile interpretentur Philoponus & Simplicius; tum id, quod ex-

Insensibile quatuor modo.

Insensibilis cōtinua diuisio.

A cedit; tum id, quod deficit: minùs tamen verè & accommodatè. Si quidèd verba illa (si aptum natura non habet, aut præuè) ostendunt aperte sententiam esse de solo præuè aspectabili per defectum & sua natura: quòd præuè habeat sensibilem formam, sitque priuationi propinquum; non autem propter solum sentientis facultatis imbecillitatem. Quod exempla quoque confirmant, quæ defectum manifestè significant. Nam quædam aues aut animalia carere pedibus dicuntur, aut fructus quidam carere nucleis; non quòd penitus careant, sed quòd paruos pedes, paruumque nucleum habeant.

Verum hæc omnia, quæ de aspectu dicta sunt, de gustatu quoque intelligere oportet. Is enim & gustabilis est, hoc est proportionati & convenienti obiecti saporis; & ingustabilis; quod toridem modis dicitur, quod inaspectabile. Ingustabile namque appellatur non id solum, quod nullo modo percipi gustatu potest (hoc enim propterea nunc præterminsum est) sed etiam id, quod paruum est, quod præuū, quod corruptiuum: Paruum et Aristica consuetudine priuationem significare, docuit Simplicius. Præuū id dicitur, quod tenuem & vix mouentem sensum habet saporem. Corruptiuum denique, quod excedit & nimis vehemens est: aut omnino lædens & offendens sensum, vt ea, quæ impendio acida sunt, aut acria, aliouè malo succo prædita.

TEXTVS.

Ἄνεσι δὲ εἶναι ἀρχὴν τοῦ πρῶτου καὶ ἀπὸ τοῦ γένους γὰρ τὸ ἀπὸ τύπου· ἀλλὰ τὸ ὄψιν φαῖναι καὶ φθαρτὴν ἀγνοῦντας, τὸ δὲ ἀπὸ φύσει.

Videtur autem principium esse potabile & impotabile. Gustatus enim quidem ambo. Sed hoc quidem præuū & corruptiuum gustatus; illud autem secundum naturam.

COMMENTARIUS CXLVII.

Obscura sanè horum verborum sententia est. Nec satis ab interpretibus explicata. Sed cum humidum aqueum antea dixisset esse velut saporem & gustabilem materiam; materiaque principium quoddam sit: postquam de gustabili dixit & ingustabili; principium gustabilis & ingustabilis subiunxit esse potabile & impotabile. Quoniam cum humidum & actū dicatur & potestatem, vt in superioribus dicebatur; atque in vnoquoque genere id, quod est actū potabile, minùs consideretur; & omnino vt quidpiam gustetur, debeat esse actū humidum, hoc est quidum & quod linguam possit madefacere: quod eiusmodi est, maxime & potabile est quod potabile est. Et idèd potabile est principium gustabilis, omnèque gustabile eatenus est actū gustabile, quatenus actū humidum & quoquo modo potabile. Nam solidum quoque alimentum potabile dicitur, quatenus habet succum, qui ad ventriculum demittitur ad modum potabilis. Et contra impotabile est principium ingustabilis; quia si aut omni-

no aridum sit, nec humidum vllum succum aut exiguum omnino habeat; quemadmodum aut amiuino erit impotabile, aut agrè potabile; sic aut prorsus erit ingustabile, aut agrè gustabile. Itaque potabile & impotabile gustabilis & ingustabilis principia dicuntur: quoniam humor, qui potabile efficit, gustabilium omnium materia est; hæcque eatenus gustabilia sunt, quatenus actu humida.

Crediderim etiam voluisse Aristotelem gustabilia omnia ad duo prima capita, quæ appellauit principia, reuocare. Ea sunt poculentum & esculentum; quæ verbis illis respondent, quibus dixerat, quædam actu, quædam potestate, habere humiditatem. Nam poculenta sunt actu humida, liquida, & fluida; esculenta non item; sed potestate, quatenus humectari possunt: & ideo poculenta dixit potabilia, esculenta impotabilia; quoniam sicciora sunt, nec actu humida, nec liquida. Ambo tamen sunt gustabilia; & ad horum alterum pertinet quidquid gustari potest.

Sed impotabile duobus modis dicitur: aut id, quod prauum, hoc est tenuem & exiguum humorem habet, estque plus æquo aridum: aut quod corruptiuum gustatus, hoc est quod nimis vehementi sapore maloût, & ingrato prorsus succo imbutum est, nec sine molestia & læsione gustatur. Horum alterum esculentis solis & cibus solidis & siccis conuenit: alterum tum esculentis, tum poculentis. Sola namque esculenta impotabilia sunt, quòd parum humoris habeant nimumque sicca sint: sed propter immoderatam aut malum saporem poculenta quoque. Quare et si potabile vno tantum modo dici affirmetur, id quod est secundum naturam: id tamen duobus modis intelligendum est. Aut quòd sua natura humidum actu sit & liquidum, vt potari possit. Aut quòd iucundum, gratam, & moderatum saporem contineat, qui sine læsione, immò cum delectatione, gustetur. Illud solis poculentis conueniet, hoc tum poculentis, tum esculentis.

Ita quodam modo poculenta sola & liquida appellare licebit potabilia. Esculenta verò & sicca, impotabilia: alio autem, tum poculenta, tum esculenta, & potabilia & impotabilia nominare. Quare hoc loco Philosophus non solum gustabilia omnia & ingustabilia ad duo principia & capita reuocauit; sed etiam exposuit, quot modis potabile & impotabile dicatur.

TEXTVS.

Ἐστὶ δὲ καὶ τὸ ἀγρὸν ἡ γούστωσις τῆς ποτῆς.

Est autem commune i actus & gustatus potabile.

COMMENTARIVS CXLVIII.

Postremo sicut antea gustabile affirmauerat quoddam esse tactile; sic nunc potabile quodque asserit esse tactile, velut gustatus & tactus commune. Etenim vt sapor, quia gustatur in humido, quòd qualitas tactilis est, non gustatur nisi tangendo; & sapor quatenus humidus est, sentitur tactu; quatenus autem sapor, gustatu ita potabile cum humidum sit, tactile quidpiam est; cum autem sa-

pidum, ad gustatu pertinet. Et ideo vt sapor & gustabile, sic potabile tactus & gustatus commune quidpiam est.

Appositè autem adnotauit Simplicius, potabile nunc dici, non id quòd paulò ante ab impotabili distinctum fuit; sed id, quod vtrique commune est. Tam enim id, quod est secundum naturam; quàm id, quod prauum & corruptiuum gustatus, tactile est, tactuique & gustatui commune. Neque quod prauum & corruptiuum est, gustatur nisi tangendo.

TEXTVS.

Ἐστὶ δὲ ὑγρὸν τὸ γούστω, ἀγρὸν δὲ αἰσθητικὸν αὐτῆς μὲν ὑγρὸν εἶναι ἐστὶν ἀγρὸν, μὲν δὲ αἰσθητικὸν ὑγρὸν εἶναι ἄλλο γὰρ τὸ ἡ γούστω καὶ τὸ γούστω, ἢ γούστω. ἀγρὸν γάρ ἐστὶ ὑγρὸν εἶναι τὸ δυνάμει ὑγρὸν εἶναι πᾶσι μὲν ὑγρὸν δὲ γούστω αἰσθητικὸν.

Quoniam autem humidum gustabile, necesse sensorium ipsius neque humidum esse actu, neque humismodi, vt humectari nequeat. Patitur enim aliquid gustatus à gustabili, quatenus gustabile. Necessarium igitur humectari, quod humectari potest. Ita tamen, vt seruetur. Non humidum autem, gustandi sensorium.

COMMENTARIVS CXLIX.

Gustatum dixit, quòd adiunctum habeat tactum, absque medio externo obiectum suum sentire. Deinde de hoc obiecto disseruit. Iam de organo in quo obiectum illud suscipi oportet, vt gustetur, dicere aggreditur. Et quoniam ex iis, quæ in tota superiori disputatione constituta sunt, certum erat, cuiusque sensus organum debere actu carere obiecto, quod per illud cognoscendum est, esseque ad illud potestate: & omnino quidquid debet aliud suscipere, careat illo necesse est, & sic ad suscipiendum aptum: ex gustabilis obiecti natura colligit qualem esse oporteat gustandi organum.

Gustabile omne esse humidum; neque gustari saporem, nisi in humido; iam definitum est. Organum igitur, quod saporem gustandum susceperum est, neque humidum actu fuerit, neque ad humorem suscipiendum ineptam. Neutro enim modo gustabilis saporis capax esset. Sed quoniam gustatus patitur à gustabili: tum generali sensuum omnium conditione, qua sentire est pari: tum speciali, qua immediatè & tangendo obiectum operatur. Patitur autem à gustabili, quatenus gustabile est, & sapidum. Nam quatenus humidum est & quidpiam tactile; patitur quidem ab eo; sed quatenus tactus quidam: quatenus autem gustatus est, patitur à gustabili vt sapidum est & gustabile. Propterea illius organum passionis illius capax sit oportet. At vt gustabile, non gustatur nisi in humido; ita suscipi non potest in organo, nisi cum humido. Organum igitur, quod gustabile suscepturum est, necessarium fuerit sua natura non esse humidum, sed humectari aptum, reque ipsa humectari, vt simul cum humore gustabilem percipiat saporem. Quoniam si actu esset humidum, à sapori humiditate & succo non pateretur: quippe iam actu esset tale. Vel si susceperet, nimia humiditate perturbaret, confunderet, & evanesceret.

sapores faceret: nec eos omnino gustaret, sed suam potius & sibi insitam velut propinquorem, non saporum, humiditatem sentiret.

Quoniam vero in tex. 57. duplex distincta est passio; una corruptiva, altera perficiens: vniuerseque definitum, sentire perfectiorem passionem, non corruptivam, significare: organum quoque gustatus ita pati debet a gustabili, atque ita humectari, ut ipsum incolume maneat, & perficiatur potius: alioqui si corrumpetur, omnino non fieret sentio, neque gustabilium perceptio. Idcirco etiam additum est, gustatus organum ita humectari oportere, ut seruetur incolume.

Salem etiam dixerat in tex. 102. potestate esse humidum, facileque liquefcere: nec quemquam voluit existimare, eodem nunc modo, non actu, sed potestate humidum dictum fuisse organum. Nam sal, nitrum, & huiusmodi alia, dum actu fiunt humida, dissoluuntur & suam naturam amittunt: organum gustandi, dum lapidis succis humectatur, nequaquam liquefcit, neque dissoluitur; sed perficitur magis & seruetur.

Quod si quadam sint, quae non humectent, sed siccant; ut piper, salisamenta, panis siccus, & id genus alia: id tamen non faciunt quatenus sapida sunt, sed quatenus tactili aliqua qualitate praedita, siccitate aut calore; quibus insitum linguae humorem absumunt. Gustantur autem quatenus salina & oris interno humore permixta & humectata organum illud humectant.

Aristoteli tamen propositum non fuit humorem omnem a lingua remouere. Etenim siccitas, ut ait Simplicius, morbus quidam est linguae, qui eam ad gustandum ineptam facit. Sed permixta naturali eius membri humiditate, & vero etiam aduentitio salinae humore; voluit solum abesse aut crassum illum & pituitosum, qui saporum gustatum tollit, aut alium quemvis nimium (ut proxime sequentia verba ostendunt) qui saporum externos diluit, perturbat, & obscurat, eorumque humiditatis actionem impedit. Quae omnia non eo solum spectant, ut ostendatur qualenam gustandi organum esse oporteat; sed etiam explicant, quomodo gustatus sit quidam tactus.

Denique eodem argumento, quo probatum est, hoc organum humidum actu esse non debere, sed potestate, eodem conficiendum est, non debere esse villo affectum sapore, sed ad omnes suscipiendos aptum. Quod ab Aristotele aut praetermissum fuit tanquam manifestum & ex generali sensuum doctrina iam cognitum; aut eodem argumento comprehensum. Quoniam si omnis sapor cum humido gustatur; quod probatur carere humido; probatur quoque carere sapore; esseque tum ad humorem, tum ad saporem potestate.

TEXTVS.

Σημείον δὲ, τὸ μὴ τε κατὰ μέτρον αἰσθάνειν τῶν γλυκύων αἰσθάνειν δὲ αὐτῶν, μὴ τε κίαν ὑγρῶν αἰσθάνειν δὲ αὐτῶν γινέσθαι τῶν αἰσθητῶν ὑγρῶν, ἢ ἂν ἔστιν αἰσθητῶν πρὸς τὴν ὑγρῶν ὑμῶν, γινέσθαι ἔστιν ἐν αἰσθητῶν πρὸς τὴν ὑγρῶν ὑμῶν, ἀλλὰ τὸ πᾶν γλυκῶν ἢ πρὸς τὴν αἰσθητῶν ὑγρῶν αἰσθάνειν.

Signum autem, quod neque lingua sentit magis siccata, neque valde humida. Hic enim tactus in primo humidi: quemadmodum cum quis, qui praesens fuerit fortem saporem, gustet alterum. Et ut agrotantium amara omnia videntur; quod linguam plenam huiusmodi humiditate sentium.

COMMENTARIVS CL.

Gustatus organum tale esse debere, quale dictum est; hoc est non actu, sed potestate humidum; hoc argumento ostendit, quod satis aperte testatur, eum non omnem humorem veluisse excludere, sed nimium & immoderatum, qui saporum susceptionem & sensum impedit. Nam si lingua (hanc enim velut gustandi organum nominat) profusa siccata sit & arida omniaque humore priuata, nullum ciborum saporem sentimus: neque item si magis humida. Cum enim omnino arida est, ne potestate quidem humida est; nisi fortasse potestate remota: quoniam externo solo cibi humore humectari nequit. Quare cum sapor non nisi in humido gustetur, saporem nullum gustare potest. Propterea ad illius radices posuit natura glandulas, quae suppeditarent humorem. cum autem nimium fuerit humectata, ita occupatur ab illo humore, vt aduenientes alios non sentiat. Tactus enim fit primi humidi) hoc est quoniam gustatus est quidam tactus; neque gustatur quidem nisi tangendo; sicut primus ille humor copiosus per linguam sparsus alterius humidi sapiditatis contactum impedit, ita & illius gustatum prohibet: & vt alius humor non tangitur quam internus, ita nec alius gustatur. Sed sensus totus & organum circa primum illum humorem & eius saporem, si quem habet, occupatur.

Quod duobus experimentis confirmat: alterum est eorum, qui vehementer quempiam & fortem saporem gustarunt. Nam si post eam alius accedat sapor, illum non gustant: organo scilicet priori sapore occupato. Alterum agrotantium, qui quod linguam habeant fluxibili conspersam, cibos omnes amarus esse indicant. Nimirum vtriusque effectus causa est, quod tactus fit primi humidi, priorque ille sapor & sapor, qui occupauit linguam, posterioris sensum prohibet. Sed & si nimium fuerit humida, illud accedit incommodum, quod nimio humore diluit accedentes saporum, confundit, & obscuros reddit. Et idem quibus abundat pituita, insipida omnia videntur esse.

Ceterum de iis, qui linguam habent asperam cholera, dubitat Philoponus. Quoniam illi, si mel dulcent maiore sentiant amaritudinem; & tamen dulcedo mellis prior debuisse temperate saporem. Negat ita rem se habere. Sed antea nec amaritudinis, nec saporis vllius sensum fuisse, quod bilis quiesceret nec vllum sensum faceret: post vero amarum sciri saporem, quod melle gustato commota est & agitata bilis ad faciendum sensum. Ita sane res est. Nam ex diuturna obiecti sensus praesentia ita occupatur anima, vt ex actu transeat in habitum, & habitu quasi contracto circa illud obiectum, actu illud non sentiat, nisi ab ingruenti aliquo excitata ad attentionem & actum producendam.

Dialectic

endum circa illud. Eodem. n. modo quæcumque gustantur amara iudicantur; quoniam amarum bilem, quæ quiescebat nec sentiebatur, mouent & ad faciendum sensum excitant.

Lingua optime affecta.

Vt igitur gustatus organum optime sit ad gustandum comparatum, neque humore nimio madidum fuerit; quia & aliorum humorum impediret accessum, & eos nimium diluendo obscuraret saporem, redderetque insipidum. Neque humore aliquo sapido præuentum & occupatum; quippe adueniens sapor non sentiretur. Neque omnino siccum & aridum; neque humore neque tunc impostum succum gustaret, sed auidè imbiberet. Verùm oportebit esse affectum, tum naturali sua & propria, tum tenui aliqua saluæ humiditate, quæ omni sapore careat. Nam quod eiusmodi fuerit, cum sapore omni spoliatum sit & ad omnes suscipiendos ac percipiendos optime affectum; potestate proxima esse existimabitur atque ad aduenientibus quibuscumque facile immutabitur, omnesque exactè gustabit.

Digressio LIII. De gustatus organo.

S I igitur linguam Philosophus tanquam proprium gustandi organum nominauit; quid importunè obiciunt aliqui in libro de sensu & sensibili capite 2. scriptum esse, gustatus & actus sensorium esse iuxta cor? Etenim horum verborum alia est quam ipsi putent, sententia, vt eo loco docebimus, in quo de tactus dicemus organo. Quod autem potissimum in lingua saporis sentit, sunt nervi per eam à tertia coniugatione disseminati.

Qua lingua pars magis gustat.

At in quam linguæ parte magis hic sensus vigeat, disputari video. Fereque medici interiorem illius partem & radices eligunt. Tum quòd insigniores ibi sint nervi. Tum quòd salua copiosior. At lenibus argumentis nituntur. Neque enim vbi maiores, sed vbi molliores nervi, magis sentiunt; neque tam in principio, quam in extremo sui, obseruantur sentire. De salua quoque sententia eadem. Non vbi plurima, sed vbi tenuissima, viget gustatus: neque linguam debere esse prorsus siccam, neque nimis madidam, Philosophus monuit. Itaque si ad radices extensio maior gustatus fuerit, quòd latior lingua maioresque & magis protensi nervi; intensior tamen & exquisitior in anteriore ac priore erit parte. Inest, inquit, idem Philosophus in lib. 1. de animalium historia capite 11. pars sentiens saporem lingua, vim hanc sentiendi obtinens parte sui primore. Nam si interiore tangat, minus sentiet, &c. Et libro 4. de partibus capite 11. esculentorum & poculentorum gustatum ita distinguit, vt esculenta priore, poculenta posteriore linguæ parte sentiantur. Quod experientia testatur. Sane vbi maior multitudo, ibi exquisitior sensus; præsertim gustatus, qui est quidam tactus; quem exquisitissimum in iis esse constat, qui mollem maximè habent carnem. Sic enim in tex. 94. exquisitum in homine gustatum inesse probatum est, quia exquisitus est tactus: hunc autem exquisitum esse, quia caro mollis. At linguæ ac nervorum maior est in priore parte mollitudo, tenuiorque ibi salua saporem faciliùs introducit.

Quod summo naturæ consilio factum est. Vt

A enim gustatum dedit nobis, vt eo alimta diiudicarem; atque in ea parte posuit, qua ea sumuntur: sic exquisitissimum & acerrimum in principio statim ponere deuit, vt statim de illis iudicantes repellere noxia & admittere vitia possemus. Ita persèpè fit, vt ad interna nimis coniectum cibum ad anteriora reuocemus, vt meliùs gustemus: medicamentaque; tum vt deglutiamus faciliùs, tum ne magnopere gustamus, ad interiora coniciamus quantum possumus. Quamquam primorem linguæ partem non vltimam solam extremitatem intelligi voluit Philosophus; sed insignem aliquam partem; fortasse ad medium vsque illius; aut certe totam eam partem, quæ melior est.

Gustatus & tactus terre.

B Ad extremum de organo accipiendum est illud, quod in eodem libro de sensu & sensibili scriptum est; vtrumque hunc sensum esse terræ: tactum quidem persè, gustatum autem, vt tactus quidam est. Nam si obiectum consideres, vt tactus dici possit terreus, quòd materiales maximè qualitates percipiat; gustatus tamen aquæ magis esse diceretur; quia sapor humidi aquei est, nec sine hoc humore sentitur. Quòd si organum spectes, vterque sanè est terræ. Quoniam siue nervus, siue caro, sit organum tactus; vtraque pars temperie propria terrea est; & idè in tex. 130. terra maximè dicitur in tactu misceri. Organo namque solido & consistenti indigebat; quod ex terreo sicco constat. Lingua quoque, caro & nervi terrea sunt.

C In tex. autem 79. libri primi nervi & quædam que in animalium corporibus terrea penitus sunt, non sentire dicuntur; quòd nehus cum innata sua temperatione consideretur. (quomodo & lingua sicca saporis non gustat.) At à contento spiritu temperatus & calefactus, atque à circumiecta carne humectatus, sentire optime potest; sicut & lingua salua humectata. Ossa & pili numquam sentiunt, quòd huius temperationis capacia non sint, cum nullum contineant spiritum: & pili etiam careant anima. Sed & gustatus organum carere debet sentiendo obiecto, esseque ad illud potestate: sapor est humidus, organum igitur erit sicci; quod terræ proprium est. Ac demum ex proprio operandi modo materiale, solidum, & crassum, hoc est terreum, non minus quam tactus, organum postulabat.

Nervus ut sentiat.

TEXTVS.

Τὸ δὲ εἶδη τῶν γλωττῶν, ἀσπρὰ καὶ ἐπὶ τῶν χρομάτων, ἀπλὰ καὶ τὰν αὐτῶν, τὸ γλυκὺ καὶ τὸ πικρὸν ἐργάματα δ', ὅτι λιπαροὶ, ὅτι δ' τὸ ἀλιμνέον μεταξὺ δὲ πούλων, τὸ δ' τὸ δριμύ καὶ αὐστηρὸν, ἐμφερὲς καὶ ἰσχυρὸν γὰρ αὐτῶν εἶναι διαφανοῦσιν.

Species autem saporum, vt & in coloribus, simplices Tex. quidem contrarie, dulces & amarum. Consequentes autem, illius quidem pingue, huius verò salsum. Media autem horum, & acris, & austerum, acerbum, & acidum. Fere enim hæc videntur esse saporum differentia.